

074

072

078

spondit ille apostata Sarracentus, aestimo enim eum fuisse Christianum: fides eorum tanta esse debet, ut montes in ea transferre valeant, sicut habetur Mathaei 21. et 17. et 1. Cor. 13. Si ergo hoc facere nequeunt, fides eorum nulla est. Hoc rex auditio persecutus consilium proposuit Christianis, ut aut (**b**) montem, qui ante eos stabat, moverent, aut jugo perpetuo junctum dividerent montem, quod si non possent, a laude et paeconisatione suae fidei cessarent, et perpetuo silentio obmutescerent. Si quis autem post hoc amplius de fide loqueretur, cogeretur, vel fidem negare, vel mortem subire. Edicto illo et propositione audita, convenierunt optimi Christiani et quid faciendum foret trepidi delibabant. Sciebant bene, quod intellectum illius textus de montis translatione sanum Sarraceni non capiebant mysticum, nec contentarentur de qualicunque expositione, nisi facto exsequerentur propositum, quod eis erat difficile, quia insolitum tunc erat fieri miracula, nec aliquis suae fidei propter defectum sanctitatis vitae tantum confidebat, ut arduum hoc opus aggrederetur. Accurrunt undique Christiani anxii de instanti fidei et Christianiorum periculo. Erat autem in civitate quidam simplex faber ferrarius, Christianus, qui auditio periculo ignem et incudem et ipsam fabricam dereliquit, et cum malleo, cum quo operabatur ferrum, exiit et ad locum certaminis venit et tristes ac flentes doctos et simplices invenit Christianos; cumque per quandam sibi fuisset propositio de montis translocatione exposita, accessit ad pontifices, sicut venerat de fabrica, facie denigrata de igne et carbonibus, concisis et sordidis vestibus, marcum, i. e. malleum magnum, humero impositum manu tenens, et per populum, circumstantem pontifices, vi ingrediens in medium ipsorum venit, signis quibus poterat et verbis petivit fieri silentium, quo facto, quaesivit a pontificibus et clero, an vere in evangelio promitteretur credentibus, quod fide possent montes transferre? Qui cum dicerent, quod sic, petivit sibi locum Scripturae et Evangelii demonstrari, quamvis omnino litteras ignoraret, et aperto codice Novi Testamenti ostenderunt sibi Matthei 17. cap. et 21., Marci 2. et 1. Cor. 13. de translocatione montium fide; et Marci 9 ostenderunt ei Scripturam, dicentem: Omnia possibilia sunt credenti. Haec cum audiret et videret, dixit episcopo: litteras ignoro et doctis credo, vos ergo dicitis, hanc esse Evangelii scripturam?

573

Ende

Anfang

